

Wk 271.

de Choechtgenio



Imbecillitatem Humanam
&
Malitiam insignem
M. CANITIO
luculenter ostendere voluit
Philalethes.

Accedit M. Ortuni Gratii ad M. Canitium
Epistola.

DRESDÆ, Literis JOAN. GVIL. HARPETERI.
ANNO M. DCC. XXIX.





o proh! dolor ferreo hocce seculo res rediit, ut ille,
qui typis publicis aliquid evulgat, suum statim inveniat & obtrectatorem & osorem. Idem fatum experita est Commentatiuncula illa, quam de Libris, quos vulgo scholasticos vocant, sub auspicio muneris sui noviter demandati, haud ita pridem edidit Praeclarissimus Docilissimusque Christianus Schoettgenius, Cruciani Dresdenis Rector. Fuit enim quidam nomine *Canitus*, (sive ille Matthaeus, sive Melchior, sive Martinus, sive denique Magister Philosophiae aut artium liberalium cultor existat, nihil interest,) qui imbecillitatem humanam in Commentatiuncula, seu schedula scholastica passim obviari Praeclariss. Schoettgenio luculenter ostendere anxie elaboravit. Qvisquis ille sit, curiosus jam non indagabo. An ille a canitie aut certe aliunde vocetur, in praesentiarum non perscrutabor: qualis enim sit, ipsum tectum quod gerit nomen indigit. Anonymus esse vult, quid hoc sibi? nonne eo ipso malam causam prodit, seqve in actione plane illicita versari tacite confitetur. Vesperrilionum est volitare per umbras, veritas spatiatur in aprico. Canitium autem ratione muneris sui inter privatos informatores quarendum esse exinde patet, quia statim sub initium libelli sui in Programmata scholastica vehementer admodum invehitur, putat enim redditibus suis ex informatione privata congerendis multum detrahi, & quasi Monopolium informationis constitui. Sed audiat bonus Vir, nescio sane an totus discentium cœtus, qualis datur in Gymnasiis, privatissimi commodi gratia hisce saluberrimis institutis carere necesse omnino habeat: Qvisquis ergo sit ille Censorius Cato, sive imberbis sive canus Canitus, pressius sectari nolo, fieri enim facile potest, ut alius quispiam, privato odio inductus talem personam simulet, quam nunquam gessit aut gerere sustinuit, modo ut per cuniculos agat, & Praeclariss. Schoettgenium frivole carpere queat. Nunc a principio ordiar, titulumque libelli anti-Schoettgeniani breviter perlustrabo. Hic in ipso frontispicio insigne arrogantiæ Canitianæ argumentum deprehendo. Namque
Jactitat ampullas & sesquipedalia verba.

De

De imbecillitate humana nostri Schoettgenii multa sane, mi Caniti,
deblateras, facultatem normativam tibi sumis, hoc autem dum agis,
ipsem tui oblisceris. Nonne tu homo es? quid hoc sibi vult?
humanis erroribus esse obnoxium: Certe tibi

Haud meliore luto finxit præcordia titan:

In eo enim, dum judicas, ipse tuam imbecillitatem prodis, teque ho-
minem esse, manifestè ostendis. Itaque

Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.

Quid, si ccelum philosophicum ruat, giganteo tuo robore subversum?
Sed montes parturiunt: quod omnibus hominibus proprium, id etiam
tibi: aliena vitia in oculis habemus, in tergo nostra sunt. Imbecilli-
tatem humanam Praclariss. Schoettgenio ostendere *sategisti*. Insignem
ergo judicii Canitiani lapsum hic etiam pueri deprehendunt. An
vero, mi Caniti, quemquam hominem nosti, qui humanæ imbecillitati
non sit obnoxius? Nonne errare humanum est? insignem sanè can-
didissimo Schoettgenio injuriam fecisses, si illum omnibus numeris
perfectissimum absolutissimumque dixisses. Homo enim est, humani
nihil a se putabit alienum. Unum est ens perfectissimum, ens entium,
causa causarum, quod perfectissimo modo perfectum dici potest. Inter
mortales autem nihil ab omni parte beatum. Semper Praclariss.
Schoettgenius eò elaboravit, ut in emendandis intellectus ac voluntati
vitiis, quantum humana imbecillitas patitur, sese meliorem quoti-
die firmoremque exhibeat. Stolidum itaque est, (scapham scapham
appello) alteri suam imbecillitatem objicere, simulque eodem morbi
genera laborare, id quod egregie fecit intonsus ille censor Canitius in
suo anti-Schoettgeniano Schediasmate. Fiet itaque tua cum venia, mi
Caniti, ut etiam tibi imbecillitatem tuam cum insigni tamen malitia
conjunctione jam demonstrem, omniumque oculis exponam. Inta-
ctum si reliquies insontem Schoettgenium, φιλάνθρωπος mansisses, ne-
que te quasi forex prodidisses. Cum vero πολυπρόεγκυων esse volueris,
tua pace fiet, ut istud tuum institutum breviori examini subjiciam.
Totum vero negotium tribus Capitibus succincte absolvam, agetque

Caput I.

De

Imbecillitate humana Canitiana.

§. 1.

Primo loco illud non leve imbecillitatis tua argumentum est,
qvod expressis verbis ais, Cl. Schoettgenium tibi non in-
notuisse. Dicis: *Schola cuidam illustri, nescio qvod nomen,*
Rector quidam inauguratus fuit. Mox ibidem pergis: *Illum orbi*
literato multis speciminiibus inclaruisse, & propterea, Viri Clarissimi
nomine, qvod tamen nunquam affectavit, illum indigitas. Mi
Caniti, qvid loqueris, aut qvid scribis? tui plane oblisceris,
oportuisset te esse memorem. Virum Praeclariss. non nosti, &
tamen de munere illius scholastico, noviter demandato, deque
illius meritis multa profers: Pergis porro: Schoettgenium in Po-
merania egisse Professorem, & juventutem in doctrinis & scientiis
eruditissime, illumque Schole sua magna cum diligentia atque dexte-
ritate praeuisse; Hac scribis, & tamen tibi ignotus est: nonne
hoc ignorantiae affectatæ argumentum? De meritis illius in Scho-
lam loqueris, qualis autem quantusve sit Schoettgenius, cum igna-
tissimis nescis. Forsan temeritatis aut, ut mitius dicam, imbe-
cillitatis tuae asylum in ignorantia quæris. Sed simula, dissimula,
meridiana luce clarior fallacia. Ludere sub palliolo, clam mor-
dere non adeo honestum est. Τῶν σπερμολόγων est, veritatem in-
crustare leguminibus affectatitiae inscitiae. Qvod si verbum inno-
tescendi sic interpretari velis, illum tibi de facie non notum esse,
aut familiaritate aliquæ & necessitudine tecum usum fuisse, aliud
imbecillitatis genus palam ostendis. Qui enim pure latine loqui
didicere, huic verbo non aliam significationem convenire norunt.
Hac cum ita se habeant, mi Caniti, nunquam mihi persuadebis, te
plane ignorasse Schoettgenium, & si crederem, imbecillatis no-
tam tecum subirem.

§. 2.



est,
in-
en,
rbi
imi
Mi
ris,
&
ve
Po-
iis
te-
ne
o-
a-
e-
a,
-
-
d
i
-
e

§. 2. Saccedit aliud imbecillitatis tuae genus, quando *Comi-*
neum dicas educatum in aula Burgundia, Ludovici. Atqui vero p. 6.
iis temporibus, qvibus Cominæs juvenis fuit, educatus est in aula
Caroli Audacis, ultimi Burgundiæ Ducis, postea vero ad aulam
Ludovici XI. Galliarum Regis pervenit. Agnosce imbecillitatem
tuae vel memoriae, vel calami, vel collectaneorum, vel denique ins-
citiae. Elige ex his, qvicqvid libet, nemo hac in parte ab imbe-
cillitate insigni liberum te judicabit. Certè omnes ii, qvibus Hi-
storia cordi, mecum amice in hoc genere conspirabunt, teque
hallucinatum fuisse pronunciabunt. Verumtamen, cum tibi cum
veritate parum negotii sit, id qvod passim docet tuum istud multo
sudore constipatum Schediasma, non miror, qvod etiam hic veri-
tatis limites transgressus sit eruditissimus peritissimusqve Historia-
rum Canitius.

§. 3. In hunc porro imbecillitatis humanæ censum etiam re-
ferendum est illud, qvod profers, *Dresda in omnibus Collegiis dari p. 7.*
Oratores incomparabiles, eoqve eloqvio illud refellere tentas, qvod
dixerat Doctiss. Schoettgenius, magnam qvippe differentiam esse
inter Oratores Romanos ac nostros. Hic inani ira in Dominum
Schoettgenium debacchatur Canitius. Graviter enim tangi putat
modernos Oratores in eo, qvod affirmarit Schoettgenius Roma-
nos nostros longissime antecelluisse. Certè, si Doctiss. Schoett-
genio innotuisset, te Oratorum modernorum esse causarum pa-
tronum, mercatus fuissest cautius, qvin immò si ipsi constitisset, tibi
hoc pacto ut Oratori nostri ævi, injuriam fieri, sane libens lu-
bensqve a Theſi sua abstinuisset. Canitianæ enim virtuti aliquid
detrahere, fuissest peccatum. Sed qvod fallaciam alterius qvæſtio-
nis commiseris, tua, mi Caniti, fecit imbecillitas. Statum contro-
versiae invertere, ὑπερον πρωτερον facere, Theſium chlimæras affin-
gere, non est dextrè disputantium, sed Sycophantarum. Nun-
qvam meus negavit Schoettgenius, dari inter hodiernos Jure con-
fultos hujusmodi exercitatissimos Viros, qui eloquentiam una cum
Jurisprudentia amico qvæſi vinculo arctissimè conjunxerint. Hoc
enim nil aliud effet, qvam in luce clarissima caligare. Unius
ergo

ergo positio non est alterius exclusio. Illud tantum innuit Schoettgenius, majorem longe perfectionem reqvisitam fuisse olim in Oratore apud veteres Romanos, quam hodie apud nostros Causarum Patronos. Hoc enim sibi vult ista comparatio, quam inter Oratores priscos & hodiernos instituit Praclariss. Schoettgenius. Itaque Romanorum Oratorum excellentia nil tollit de gloria & dignitate hodiernorum, & quicquid in hoc genere desideratur, factum est ex somnio Canitiano.

- §. 4. Negavit in Programmata suo Schoettgenius, superesse hodie tales Orationes, quales olim a Cicerone, eloquentia patre, habitæ fuerint, cum scilicet ille in judiciis periculisque versaretur.
- P. 7. Hic Canitius invenisse putat, non quod pueri in faba, eumque non parum errasse profitetur, diserte enim asserit, superesse omnino tales Orationes in Livio, quæ licet pro rostris habitæ non sint, plerique tamen forensem modum spectent atque sapiant. Hic iterum humani quid passus est Canitius, qui differentiam insignem inter Orationes forenses atque civiles non recte agnovit. Priores ad jus privatum pertinent, posteriores ad publicum. Illæ a Causarum patronis sunt habitæ, haec etiam a Regibus atque militibus. Illæ singulorum hominum, nonnunquam singularum civitatum aut regionum, haec vero publicam totius Reipublicæ salutem sibi habent propositam. Quæ differentia, si probe attendatur, appareat vere dixisse Schoettgenium, nullas hodie ejusmodi Orationes, ad genus judiciale spectantes, & coram judicibus habitas, praeter illas Ciceronis, amplius existare.

- §. 5. Ut imbecillitatem suam Canitius porro orbi eruditus ostendat, citat Livium Lib. XXVI. Belli Punici. Nosse vero debuisse bonus ille Vir, in primis cum in dijudicandis aliorum scriptis Argus esse velit, Livium opus suum non inscripsisse de bello Punico, sed Historiam Romanam ab Urbe condita. Et quamvis minime negandum sit, in eo ipso libro bellum Punicum describi, totum tamen opus ex unius aut alterius libri materia nec potest, nec debet allegari. Vides itaque mihi Caniti, te etiam hominem esse.

esse. Qvā de re noli cum grāculo Æsopico inani fastu intumescere,
aut putare te mera aut scribere aut loqui oracula. Longe enim
erras, ipsa enim tua imbecillitas etiam in hoc genere tibi erit argu-
mento.

§. 6. Insigne Canitianæ imbecillitatis testimonium habetur
etiam in eo, qvod fusius jam seqvitur. Scripsérat Doctiss. Schoett-
genius, *Eqvites, sive Patricios fuisse Patronos &c.* Qvæ dum re- p. 8.
petit Canitius, qvafī triumphans stentoria voce exclamat : *Hem
qvid audio! Eum, cui Antiquitates Romanae veniunt explicande,
Ordinem Equeſtrem cum Patricio ita commisſuſſe, &c.* Optime
mi Caniti, hoc ipsum dum agis, plus facis qvam Hercules, re-
purgas Augiæ stabulum, hydram Lernæam trucidās, qvin ipsum
Cerberam tricipitein! Omnes tibi opere de tanto gratulantur Mūſæ,
scilicet. Conaris Lectori perſvadere, qvin potius ſucum facere,
Te insignem aliquem errorem Dn. Schoettgenio ostendere velle.
En vero novam tuam imbecillitatem! Nonne paulo post hæc ver- p. 9.
ba seqvuntur : *Poterat igitur Patricius fieri Eques.* Si igitur Pa-
tricius potuit Eques fieri, num qvæſo errat ille, qui scribit *Eqvites
ſive Patricios?*

§. 7. Pergit Canitius, Antiquitatum Romanarum furore en-
theo qvafī correptus, plura qvam ad rem pertinent, copiosius
enarrare, tandemque, qvafī epimetri loco doctissimæ suæ narra-
tioni hunc scilicet pulcherrimum, ex purissima Antiquitate decer-
ptum floſculum submittit : *Utebantur etiam ANGUSTA CLAVE.* ibid.
Hem! qvid lego? qvid, si totus contremiscat Parnassus! qvid au-
dio? Eum, qui Antiquitatum Romanarum ignorantiam alteri ex-
probrat, eum, qui alios mirifice depexos dare potest, in tantum
errare, ut CLAVEM cum CLAVO misere confuderit? Succurrit
mihi lepida qvædam narratio, qvam audisse me qvondam memini.
Fuisse scilicet, qui diceret, se in una coena vel prandio aliquot
OVES comedisse. Quem, cum alter emendasset, & OVA in lo-
cum OVIUM substituisset, respondisse fertur: Inter VES & VA
non est magna differentia. Tibi certe mi Caniti, inter VIS & VUS
placet

placet indifferentismus. Sed audi, mi Caniti, hoc unum enim hic addo, amplius nil, suppeditabo tibi consilium, clavem tibi ut compares non angustam, sed latissimam, qvæ tibi Antiquitates Romanas, qvas vix per transennam inspexisse videris, referet, & ad Nieuportum, heroem tuum, aditum tibi patefaciat. Id qvod, nisi feceris; nunquam ad aliquam istiusmodi Antiquitatum cognitionem pervenire poteris.

p. 11. §. 8. Illa qvæstio a Canitio prolata, *utrum Cicero potuerit petere triumphum?* insignem etiam ipsius imbecillitatem comprobatur. Nunquam enim asseruit Doctiss. Schoettgenius, Ciceronem jure triumphum petere potuisse, probe gnarus eorum, qvæ ad 5. triumphum olim a Romanis requirerentur. Dixerat modo, Ciceronem ausum esse petere triumphum, & miratur, qui factum, ut nummus in eundem sit excusus. Confundit itaque pessimo ausu duas res Canitius, *audere petere triumphum*, & jure illum petere posse. Multi audent, qvod jure suscipere nequeunt. Huc pertinent omnes illi, qvi in aliorum scripta calamum stringunt, & anxie ibidem qvarunt, qvod carpere queant. Qvo omnino etiam Canitia na illa lima referenda, qvæ Schoettgenianum illud Programma non polivit, sed misere dilaceravit.

§. 9. Sed age, ad triumphum Ciceronis perveniamus. Cum in Historia Romana illorum temporum insignis detur lacuna, difficile est certum quid de illo pronunciare atque statuere. Certè nec Canitius, qvi sibi soli sapere videtur, neque aliis quispam Romanarum rerum peritus momentum hocce historicum dare poterit enucleatus, sed tamen periculum faciamus. Primo conspicitur nummus apud Begerum in Thesauro Brandenburgico, T. II. p. 590. in qvo occurunt quadrigæ triumphales, cum addito M. TULLI. Cum itaque in familia Tulliorum nullus detur Marci prænomine insignitus, qvi triumphum egerit, non immerito, donec quis certiora ex historicis monumentis edoceat, concludimus, illum nummum ad Ciceronem pertinere. Præcipue cum duo loca ex illius Epistolis id non obscure innuant, qvorum prior habetur

betur, Famil. L. XV. Ep. 4. ubi *Spem non dubiam triumphi memorat.* Alter legitur ad Attic. L. V. Ep. 21. ubi: *τέθηππα* prohibeo. Quid Tullius sibi hic velit, non enucleabo, sed lectorem ad ipsum auctorem remittam, cui placet, Ciceronem evolvat, & judicet. Interim tamen hocce momentum historicum nonnihil dubium nemini obtrudam.

§. 10. Novum imbecillitatis humanæ specimen profers mi Ca- p. 12.
niti, dum *Julium Bulengerum* citas, qvem vix oculis tuis unquam vidisse, nedum inspexisse censendus es. Si enim Autorem in manibus habuisses, nosses, ipsi nomen fuisse non Julii, sed *Julii Cesaris Bulengeri*. Sive ergo ipsum Autorem evolveris, sive non, tamen peccasti, & supinæ oscitantiæ reum te fecisti.

§. 11. Aliud, & qvidem multiplex imbecillitatis humanæ testimonium occurrit, cum de mercede Patronis causarum olim debita prolixe disputare instituit Canitius. Negaverat Dn. Schoettgenius, tale quid olim in usu fuisse, ductus rationibus gravissimis, quas tamen copiosius adducere noluit. Tu contrarium affirmas, mi Caniti, & sic mones: *Oratores, etiam si non erant mercede conducti, id tamen nec gratis fecisse largiendum est: erat enim species mercedis; quod ostendere videtur Poëta recens styli lascivi Eleg. I.* p. 13.

*Sæpe perorata percepi lite coronam,
Et data sunt linguae præmia digna meæ.*

Hic varia sunt, qvæ notam merentur. 1.) Testis citatus illud videretur ostendere, qvod tamen non facit. Aliud enim est esse, aliud tantum videri. 2.) Cornelium Gallum recentem Poëtam vocas: sed hoc pessimè. Nam Cornelius ille prior & antiquior est omnibus illis Elegiacis Poëtis, qui stylo lascivo utuntur, qvod ipsum vel Bibliotheca latina Fabricii te docere potuisset. Qvod si vero cum quibusdam viris doctis Elegias Cornelio Gallo adscriptas recentiori ævo scriptas esse contendis, male agis, dum ex scriptore sequioris ævi antiquitates præcas probatum is. Profers alia de temporibus Clau- dii

: () :

dii & ex Calphurnio Flacco. Respondeo, distingve tempora, & concordabunt omnia. 3.) Ex verbis Cornelii Galli illud elicis, pecunias Caussarum Patronis mercedis loco fuisse datas. Distichon illud Cornelii citatum de corona loquitur, non de pecunia. Quid autem putares mi Caniti, si tibi pro durissimis in erudienda juventute exantlatis laboribus, præmii loco ferta offerrentur aut coronæ? Nonne murmurares? num quæso pro parata pecunia acciperes? Sed st! Canitio corona idem est ac pecunia.

§. 12. Virgilium natum dicis *Cn. Pompejo COSS*. Nosse autem debuisses, illud *COSS* non esse numeri singularis, sed pluralis. Huc etiam illud referendum, quod mentionem facis *ordinis Senatoriis, Equitum & Popularis*. Certe *Plebejum* appellare voluisti, sed penna præcurrit mentem. Qvis enim unquam ita dixit? Evolve modo Lexica: hæc te docebunt, quænam illius vocis sit significatio.

§. 13. Neque illud tibi condonandum, quod, cum multa de Virgilio ad rem præsentem minimè facientia, proferas, Pseudo-Donatum, insignem illum nugatorem, seqvaris, qui, teste Car. Kuæo, & erroribus scatet, & aliis fere omnibus locum errandi præbuit, Ex ejusdem Virgilii Vita ordine chronologico digesta quædam adscribam, quæ tibi in aurem dicta sint. Ad a. u. c. 713. hæc habet; postquam docuit Virgilium per Mæcenatem in gratiam Augusti pervenisse: *Eam ob rem inter fabulas puto, quicquid habet vita scriptor de ejus ad Octavianum gratiam aditu: quod magistro stabuli carus primum fuerit: quod panes eidem, & uni e stabulariis in singulos dies dati: & quæ plura ibi sequuntur, a Jesuita magnō cum judicio confutata.* Ad ann. vero 711. hæc adjecit. Hinc erroris arguuntur, qui volunt Eclogam Virgilii sextam Romæ auditam a Cicerone fuisse in theatro, cum a Cytheride mima cantaretur: eundemque Romana eloquentia principem, ad suam & novi Poëtæ laudem exclamasse: Magnæ Spes altera Romæ. Tum enim, cum Cicero occisus est, Eclogas scribere nondum Virgilius cœperat: nedum venerat Romam, sed abhuc aut Mediolani, aut in rure suo versat.

versabatur. Sed fingamus cum Pseudo-Donato, ejusque felicissimo sectatore, Canitio, patrem Virgilii fuisse hominem infimæ sortis, an seqvitur exinde, Virgilium non potuisse prædia possidere? Innumeræ enim sunt viæ, qvibus qvis e summa paupertate ad magnas opes non raro pervenire potest.

§. 14. Dixerat Schoettgenius, meliores partes, Pompeji scilicet, in bello civili Ciceronem esse secutum, qvod tamen tu vix probas; mi Caniti. Sed, distingve modo tempora, qui enim bene distingvit, bene docet & scribit. Primum, qvum Cæsar libertatem Reipublicæ Romanæ labefactaret, ejus sane optimæ non erant partes. Ratio hæc est, qvia officium ipsius erat, libertatem tueri. Exemplo rem illustrabo: Siqvis hodie ex proceribus Reipublicæ Belgij foederati contra fidem datam & jusjurandum libertatem illam divinitus concessam multoqve sanguine partam temerarie pessimamente vellet, & ei se alter opponeret, annon hujus posterioris partes essent meliores? Postqvam vero Julium Cæsarem ex S.C. inviolabilem sanxerat Respublica, tum sane pessime egerunt, qvi ipsum e medio sustulerunt.

§. 15. Ultimum tandem imbecillitatis tuæ specimen hoc est, qvod insignem errorem chronologicum Clar. Schoettgenio expbare satagis. Si rem secundum annos posuisset Schoettgenius, error sane insignis esset, a quo nemo ipsum immunem pronunciaret. Sed intentionem ipsius hæc scribentis non pervidiſti. Scopus ejus fuit, ostendere, qvomodo Cicero ab imo gradu ad summum in rep. pervenerit. Hic ultimum sane fuit Consulatus, qvi plus erat qvam Pro-Consulatus. Nihil igitur cuiqvam Auctori est exprobrandum, nisi prius scopum & intentionem ejus perspectam habeas. Et hæc de imbecillitate Canitiana.

Caput II.

De Malitia Canitiana.

§. I.

ERUNT fortasse, qvibus nimis dura videatur hujus capititis inscriptio, qvia Canitius a scommatibus abstinuit, id qvod ab ipso factum esse non negabo. Nimirum verba sunt satis honesta, res ipsa vero docet, qvid ipse animo suo reconditum habeat. Quid enim est aliud, statum qvæstionis pervertere, & adversario adstringere, qvæ ipse ne in mentem quidem venerunt, qvam malitiose agere, & sophisticationibus indulgere. Qvod si igitur scapham scapham appello, nihil ago, qvod non virum honestum, & hominem Christianum deceat. Si Canitius ab his abstinuisse, nunqvm opus habuisset malitiam ejus omnibus conspiciendam exhibere.

§. 2. Primum illius argumentum est, qvod Schoettgenium Virum Clarissimum Doctissimumque vocat, omnemque ipsi prosperitatem apprecatur, & tamen contra ipsum scripto in publicum edito insurgit. Si Canitius ex animo bene ipse veller, qvæ in ipso desideranda sunt, privato colloqvio vel per literas scriptas aperuisset. Si bene ipse cuperet, errata excusaret vel extenuaret, id qvod charitas Christiana præcipit, ipsumque potius, quantum in se esset, defenderet, qvam publico aliquo libello ipse insultaret. Quem igitur in finem istum libellum contra ipsum edidit? Vt laudem atque gloriam ipsius promoveret? Conscientia ipsum propria hac in parte judicet. Neqvm illud verbum est, bene vult, nisi qui bene facit. Ipse Canitius agnoscit Spartam, sive, ut ipse ait, stationem satis amplam ipsi esse concreditam. Qui ergo bonus civis est, & bonus Christianus, ejus officium reqvirit, ut ipsi potius in arduo munere ad salutem publicam administrando manus auxiliatrices porrigit, ipisque, secundum præceptum Apostoli, donis divinitus sibi concessis inserviat, qvam sycophantarum in modum per cuniculos agat, & hominum malevolorum, qvales optimus quisque habet, ludi-

ludibrio exponat. Optarem hæc posse inter virtutes referre, sed nisi rationi, nisi scripturæ divinæ adversus esse cupio, qvod res est, a me proferendum est.

§. 3. Proximum est, ut de Programmatibus sive schedulis scholasticis agens malevolentiam suam insigni testimonio comprobet. Dicit illa orbi eruditio fucum facere, ut præceptoribus privatis, qui magno cum sudore redditus congerunt, contemtim habitis, Monopolium aliquod eruditionis constituantur. Qvisnam vero Canitius, ut servum alienum judicare sustineat? Certe Schoettgenius non primus est, qui tales dissertatiunculas in publicum prodat, sed fuerunt multi Viri doctissimi Canitio longe meliores, quorum hac in parte vestigia premere nititur. Porro hoc ipsum, qvod ab ipso fit, non auctoritate privata suscepimus est, sed jussu Magistratus Amplissimi, qui expressis verbis hæc litteris vocationis ipsius inseri jussit, ut subinde juventutem in Orationibus publice habendis exerceat, adeoque Auditores scripto aliquo publice emiso invitetur. Si igitur id muneric ratio postulat, qvid hæc ad Canitium? De doctoribus privatis nolo multa verba facere. Multi ex his sunt, qui dono docendi non sunt instructi, qui alia omnia potius exercuerunt, quam informationem juventutis. Hic planum quoque est, parentes a quantuplicimis decipi: nam de omnibus non est sermo. Qvod si igitur redditus tantum cum sudore congerere cupiunt, qvod docet Canitius, non vero vires ingenii & corporis in formanda juventute adhibere, judicium cuivis liberum esto.

§. 4. Dolet præterea Canitius, qvod Clar. Schoettgenius ipsi non innotuerit, & malitiam satis aperte ostendit. Jam enim superioris ostensum est, qvod illum satis bene noverit. Si vero amicitiam ipsius querere voluisset, nemo ipsi aditum præcluserat. Poterat illam honeste ambire, & facili negotio obtainere. Sed tempus me monet, ut in reliquis sim paullo brevior.

:)(:)(3

§. 5.



§. 5. Canitius porro malitiam ostendit , qvādam verba Schoettgeniana citat , qvādam vero ad contextum pertinentia prætermittit. Sic dicit , Schoettgenium negare , Ciceronem fuisse Oratorem , Virgilium Poëtam . Sic fecit & ille , qvem Tu , Caniti , sectaris , ut Matthæus Evangelista docet , c. IV. 6.

§. 6. Et hoc ad malitiam Canitianam pertinet , qvod multa profert , qvæ Schoettgenius nunquam negavit , tantum ut videatur manus aliquod schedion contra ipsum scripsisse . Hujus commatis p. 5. sunt illa : 1. Politicam ex solis Auctoribus Clæssicis non posse ad-
p. 6. disci : 2. Multos hodie dari egregios Oratores : 3. Poëtam non
p. 7. ingenio tantum , sed & judicio pollere debere : 4. Ciceronem am-
p. 8. bitioni valde deditum fuisse . Ostende , Caniti , ubi Vir doctissimus
p. 9. hoc negaverit . Statum vero controversiæ invertere , est Sophi-
stam agere , qvod viro honesto non convenit .

Cap. III.

De Stylo Canitiano.

§. I.

p. 16. DE stylo Schoettgeniano liberum cuivis relinquis judicium , in-
primis autem illud taxas , qvod promiserit , se vernaculo ser-
mone institutum suum luculentius expositurum . Exinde sinistre
colligis , quia vernacula lingua hac de re agere promiserit , latino
idiomate forte non posse . Sed qvæ , qvalis qvanta ! Απαράς scri-
bere si velim , nihil invenio , qvod reprehendi jure possit in sty-
lo Schoettgeniano , purus enim & perspicuus est , id qvod maxi-
mum momentum . Sed obtrectator etiam in sole maculas invenit .
Verum , qvid tuo de stylo judicandum ? placeat tibi , mi Placen-
ti , cerè non placet omnibus . Multa enim dantur in libello tuo ,
qvæ Prisciano placere vix possunt . Pauca jam tangam , ne inutili-
ter tempus teram . In ipso titulo verbum *sætegit* , legitur , usur-
patum

patum admodum incongrue : Denotat enim omnem operam adhibere, omnes vires impendere, & tamen parum aut nihil promovere. Ita tu, mi Caniti, multa agendo, nihil egisti. p. 7. dicas : regiones Gallicæ *audiebantur* provinciæ Romanæ ; scribere debuisses, audiebant. Sanè egregius flosculus ! p. 10. *Facto Consule* habuit primam Orationem contra Rullum ? Nec hoc quidem latine dictum , sed transeat cum cæteris erroribus, dantur enim graviores. Quid p. 11. *victoria rara & honor patrus?* Ibidem, Cicero *ludit* cum *gestis suis*. Porro p. 12. *Honor divinitati* (pro cum divinitate) *conferendus.* ibid. *Patronatus*, pro officio & munere Patronorum. p. 9. *Clavis pro clavo.* p. 14. Pluralis numerus pro singulari.

§. 2. Sæpius tam perspicuè loqueris, ut plane non possis intelligi. Ex multis unum addocuit alterum. Sic enim p. 5. *Cominaeus* scripsit *Caroli Burgundie Ducis bellum Neapolitanum*, quale tamen Carolus nunquam gescit. it. p. 6. *Ennium Romam deducere* : p. 14. *Quos hac fert opinio* : p. 15. *magistratu publico decreto illi permisso* : ib. *Deus magistratum per Senatus Consultum decreverat.* &c. Vide ergo styli tui imbecillitatem, humanæ imbecillitatis testem certissimum. Quid ergo jactitas ? p. 6. sic ait: Te ab ineunte ætate bonos autores & legisse, & nunc cum voluptate incredibili eos lectitare. Quod si verum, cur contra regulas Grammaticas & proprietatem sermonis latini non raro peccasti ? Hæc de stylo Canitiano. De meo stylo sentias quicquid velis , nil movebor : scripsi enim tumultuariè , interque labores consuetos. Ursorum more foetum exclusum lambere aut relambere neque possum, neque volo. Alio tempore, sicuti tempus patietur & occasio , dabo ornatius. Nolui enim pulchre sed verè scribere , qua de re contentus esto hocce Catone.

§. 3. Tu vero, Vir Praclariss. macte ista, qva semel ceperisti virtute, nec patere circulos Tuos turbari. Obmurmuret Momus, dentes infrendeat, bilem evomat : Noli animum abiecere, corrobare

borare Te fortitudine vocationis Tuæ legitimæ. Fac tua, id qvod
strenuè jam agis, Deus aderit Tibi in arduo negotio, cœptaqe
Tua secundabit. Invium enim virtuti nihil.

Ast Tu, mi Caniti, qvi gladium philosophicum strinxisti, de-
fiste, ensemqve vagina reconde, nulla enim salus bello grammatico,
omnes pacem poscimus. Ergo ad frugem redi, imbecillitatem
tuam agnosce, & cogita Tibi cum Schoettgenio solo non es-
se negotium, sed & cum juventute ipsi concredita, cui scandala-
lum præbes, & , qvatum in te est, illi dissidentiam erga Præce-
ptorem indere conaris. Adolescentes illi inter imbecilles sunt nu-
merandi, adeoque posset unus & alter verbis tuis offendii,
qvæ res nisi in posterum omittatur, publice
vindicari poterit.



SVPER-

SUPERSCIENTISSIMO ET IL-
LVMINATISSIMO VIRO, M. CANITIO
M. ORTVINVS GRATIVS

tot optat salutes, qvod vaccæ sunt in Helvetia, Cartu-
schiani in Francia, & meretrices in Roma.


Nuper audivi, qvod Vos factus estis Eqves, & ac-
cepistis unam angustam clavem, super qvo me
valde miravi, & simul supereminenter gaudavi.
Sed qvoniam ego scio, qvod vos non estis nobilis of-
ficialis, peto Vos, ut mihi scribatis, qvis vos ad eqvi-
tem verberavit. Scio etiam, qvod est magna diffe-
rentia inter latam & angustam clavem, igitur scribete
inihi, an etiam post angustam clavem potestis accipe-
re latam? Fui semel in una magna urbe, in qua unus
Princeps habet suam residentiam, & ibi vidi unum vi-
rum, qvi habebat auream clavem ad latus pendentem,
& ego cogitavi: Per Musas & Apollinem, hæc est la-
ta clavis: nam qvamvis non est tam magna sicut ha-
bent Kusteri in pago, tamen est aurea, & unum mo-
dicum auri plus est, qvam latissimum frustum ferri.
Præterea scribite mihi, præstantissime Domine Magi-
ster, cur nomen vestrum mutavistis. Fui nuper in
una compagnia & ræsonaverunt homines de vestra
mutatione dicentes: M. Canitius est stultus, qvod pu-
det se de nomine patris sui, qvi fuit honestus & bo-
nus Germanus, & ille vult habere nomen Latinum.
):(:)(): Alius

Alius dicebat, illud nomen rectum est, nam derivatur
a canis, qvia Canitus, tanquam rabiosus canis, Schoett-
genium nuper morduit. Sed tandem unus incipiebat,
dicendo : Vos scitis, qvod, M. Canitus est doctus vir,
docti autem sunt, qvi sciunt latinum, ergo recte etiam
fecit , qvod nomen suum latine fecit, sic enim non
omnes Rustici intelligunt. Et hic recte judicavit. Si
enim nos docti nihil præ aliis præ ex haberemus, ego
mallem urscorius esse, qvam doctus. Alius incipiebat
& dicebat : Vos Domini, debetis scire, qvod M. Ca-
nitus habet clavem non veram ac realem, sed tantum
expectantialem : nam ille pauper nebulo voluit nuper
Cantor fieri in una magna urbe, & qvia illud inire no-
luit, clavem accepit expectantialem. Fortasse fiet Can-
tor in pago, & tunc accipiet clavem latissimam qvan-
titate molis, qvamvis non qvantitate virtutis, ut phi-
losophicaliter loqvar. Nescio an me audere debeam
Vobis plura scribere , qvid alii protulerunt. Dixit
enim unus, (sed ego credo, qvod non est verum) qvod
vos voluistis Prædicator fieri , & qvidem per casum
obliquum, sed res retro ivit, qvia Deus vos punivit.
Ego Vos volebam defendere, sed dicebant : Tace,
Tu neqvam, aut nos volumus Tibi urceum ad caput
percutere. Deinde loqvebantur de Vestro Latino, &
dicebant, qvod non scribitis, sicut Cicero, & alii boni
scribentes. Ego dicebam : Ite cum vestro Cicerone
& aliis veteris Salbaderis, ego scio bene melius Lat-
inum, qvod scribunt S. Thomas, & omnes Magistri no-
stri

stri in Colonia : hi scribunt Latinum Theologicale,
qvod est multo melius, qvam qvod illi gentiles scri-
pserunt, qvi nunc ardent cum Diabolo in inferno. Vi-
detis, qvod vos volui defendere, sed qvia non pos-
sum ulterius venire, scribite mihi, qvid alio tempore
debeo respondere, qvando isti ribaldi se rursus super
Vos facere volunt. Ego cum illis rixavi usque ad
verberare, sed vellem illos potius prostituere, ut di-
scant se pudere. Nam ego scio, qvod Vos estis super-
doctus, & valde alte studiistis, adeoque non possum
patere, ut alii stulti de vobis male loquantur. Itaque
concludo cum humiliissima recommendatione meæ te-
nus personæ, & rogo vos, ut meus semper Patronus,
& amicus velitis manere. Dabam in Colonia,
tres latos digitos ante novum Annum.



B.I.G.



Farbkarte #13

de Cinoetigenio
6K 271.

Imbecillitatem Humanam
&
Malitiam insignem
M. CANITIO
Iculenter ostendere voluit
Philalethes.
Accedit M. Ortuini Gratii ad M. Canitium
Epistola.

DRESDAE, Literis JOAN. GVIL. HARPETERI.
ANNO M. DCC. XXIX.

